

15380



15380



ced

Sammelband

III



Epithalamion in Nuptiis

AMPLISS. ET PRV-
DENTISSIMI VIRI, GE-
NERIS SPLENDORE, ET ME-
ritis cum in Rempub. tum in curatio nis Metallicæ
gubernationem in Monte D. Mariæ præ-
stantis. D. Consulis SEBASTI-
ANI FVNCTI;

ET

PVDICISSIMÆ VIRGINIS GER-
TRVDÆ Viri Spectatissimi & Grauiissimi
GEORGII PISTORII Ci-
uis Lipsensis, relicte filie.

Scriptum ab

ELIA LYTTICHIO
IOACHIMO.



LIPSIÆ Iohannes Martorff imprimebat
Anno M. D. LXXIII.

[26-2642]

QVæ modò si rutílo facies nitídíssíma mundo
Protulit exortur: quænam sese æthere claro
Vndiq; temperies radiantí lumíne sparsit:
Aspice quam læto diffundens iúbila plausu,
Altior euectus Títan sub luce corusca,
Extímulet Phaethontis equos, cursuq; fatíget.
Omnia iam terris genitabilis aura Fauoní
Aspírans, grata reflícit vice, frígore pulso,
Quicquíd & orbe vago vitalí vescitur aura,
Ardua sidereiq; polí conuexa tuetur,
Ominibus faustis posito torpore nitescit,
Et redit abiectæ prius, ac sine flore iacentis
Egregius telluris honos, subitoq; resurgit.

O salve vernans anni decus: Omnia lætis
Auspicijs renouans, video agnoscoq; serenum
Terrigenis iubar, & votis iam sæpe petítum.
Haud alios habuit primo sub vere tenores,
Quando recens fabricata stetit, vasti inclyta mūdi
Machína, vel quando patulas rediuiuus in auras,
Christus ouans, victi spoljs Acherontis onustus,
Prodñt, & præsens fratrum socia agmina iunxit.

Huc ades, ô facili Consul dignissime vultu,
Qui placida ciues grauitate fideq; gubernas,
Tradita solerti tractans moderamina cura,
Legítimaq; tenens fasces ratione gerendos,
Tam bene commissas vrhis moderaris habenas:
Huc

Huc ades, & mœstum de pectore pone rigorem,
Nec tibi luctificis angat præcordia curis
Coniugis vltèrius dolor, & domus orba parente,
Sat luctu lachrymisq; datum, nihil vsq; relictum est,
Omnia defunctæ soluisti, & funeris vmbriis,
Illa bonis summis, & cœli sede potita,
Incolit Elysiis, vbi tesqua virentia, campos.
Quare age, iam longo soluas tua pectora luctu,
En modo vernanti lætentur vt omnia seculo,
Parturit omne animans: Vermes, insectaq; rursus
Quæq; prius latuit, rigidis enecta pruinis
Stridula ranarum, liquidas rediuiua sub auras
Turba redit, Viuitq; nouo nunc fota calore,
Et cum sit sub aqua, sub aqua tamen vsque coaxat:
Arboribus frondes, & gratia redditur aruis,
Prata repubescunt: flatu Zephyriq; tepente
Eliciunt flores: & versicolore nitore
Suauiter afficiunt oculos, cerebrumq; penetrant
Vi flatus violæ, & nidor redolentis Anethi.
Læticiæ manifesta suæ dat signa per auras
Populea resonum meditans Cassita sub vmbra
Voce melos gracili, & concentibus aera mulcet:
Nec stabulis gaudet pecus: ast euincta capistris
Buccula luxuriat lasciuo ad pascua saltu:
Turtur & incessu socia cum turture gestit:
Quæritat ac passim quod amet sibi piscis & ales:

A 2

Tu

Tu quoq; sic vidui fastidia vince cubilis, (LIS
Et sociam tibi iunge thori, quæ TOTA FIDE
Esse tuæ possit domui, Spectate SEBASTE,
Ut quoties rapido curarum tunditur icu
Cor tibi, sit præstò, viuax quæ prompta leuamen
Sufficiat, nomenq; tuum per mille nepotes
Extendat, famæ consors simul atq; laborum.

Nonne vides, in te quot vertant lumina ciues,
Pro quorum grauis est tibi cura gerenda salute?
Tum res ampla domi, soboles, & cætera tectis
Pars operata tuis, Rectricis & indiga, poscit
Imperij tecum cui pars sit, & æqua potestas,
Ergo nouæ cedat si cura domestica nuptæ,
Tu seruare potes magnis tua pectora rebus.

Sed benè habet: Votis respondent omnia nostris,
Irrita nec videor vento illa dedisse vel auræ,
Fallor, an optato iam tū PISTORIA nympha
GERTRUDA, amplexu tibi ludit, & oscula
Aspice compositos gestus vultusq; serenos, (libat
Et benè conueniens ætati & moribus æuum.

Dicite Iò, mecumq; nouos nunc edite plausus,
Exercete choros Charites, saltuq; decenti
Inter Hamadryadum cœtus, & Oreadas ipsas
Iam noua Mariaco deuoluite gaudia colle,
Maçte noua virtute animi, sic viuatur intra
Septa pudicitia, felix & sobria vita,

Qua

Quà Sol nil melius, qua nil videt aurea Phœbe
Sanctius in terris, nec Diis mage gratius vllum.
Hoc est se præstare virum, & sanare doloris
Vulnera, & afflictæ melius succurrere vitæ.

Ergo tuis nostræ gratanti carmine tædis
Sistunt se CHARITES, Tyrion non murice
Magnifico luxu cõptæ, sed simplice cultu, (passim
Vt minima saltenti gestu, de parte, decenti
Publica concelebrent longæ spectacula pompæ,
Sponsorum thalamis solennia vota precatæ.

Vos igitur triplici nexæ pietate sorores,
Huc huc ferte pedem Charites: cantuq; sonoro
Dicite, si qua manent socialem encomia vitam,
Vel pia coniugibus laudum præconia castis
Alternata vice, sancta recens quos copula iungit
Pangite, dulcisono resonent modulamine circum
Atria, vel cantu reboans respondeat æther.

Sit procul ergo pudor rigidus, vos ille fauenti
Accipiet vultu, cui debita soluitis ora,
Nuda tamen triplici sint membra induta tenore,
Absit & hinc turpi petulans lasciuia lusu,
Nam celebrare Deum, virtutis & ardua facta,
Muneris esse olim vestri, meminisse iuuabit.

Ergo age, tu prior incipias AGLAIA canedo,
Inde THALIA soror strophio redimita virenti,
Læticiæ tandem fax Euphrosyneq; sequatur.

À 3

AGLA

A G L A I A.

*S*pectati celebrans omine Consul
S Felici atq; bono, festa iugalia:
*S*i fas, cuncta petens prima ab origine,
*C*asti persequerer coniugij decus.

*S*ed non hæc mihi vis, Hoc opus ut queam
*N*arrando meritis tollere honoribus:
*P*aucis saltem aliquid *S P O N S E* tibi canã,
*I*mbelliq; lyra carmina proferam.

*P*ostquam principio condidit omnia,
*P*ræclaramq; sui finxit imaginem,
*M*ox in tergemino consilium *D E V S*
*C*onfessu capiens: Cum Patre Filius
*S*ummo, cumq; sacri numine Spiritus
*S*anciuit thalami non violabile
*F*ædus legitimi, Consilio graui.

*A*dduxit sociam Pronubus integram
E costa fabrefactam, Ipse *D E V S* viro,
*H*os crescendo iubens multiplicarier,
*H*is Mundi imperium tradidit insuper.

*S*ic primum thalamos inclyta Trinitas,
*C*erta constituit lege: Sit vnica
*V*ni iuncta viro fœmina: Turpium
*G*raassetur vaga ne flamma libidinum.

*S*ed certis positum sub stationibus,

*H*uma

Humanum sobolem progeneret genus,
Quæ veram teneat noticiam DEI,
Et quæ semper eum laudet & inuocet,
Et cui summa Deus contribuat bona.

O fatalis Amor, semina qui polo
Deducis, tua quis pronumeret bona?
Quis dignis potis est tollere laudibus
Pollenti numero dulce decus tuum?

Tu CHRISTI stimulos (nomine qui
Sponsi gaudet ouans) pingis & exhibes, (probi
In sponsam faculis qualibus ardeat,
Quam verbo ex hominum deligit agmine.

Tu cultrix fidei saluificæ SCHOLA,
Tu, tubina ligas corpora vinculo
Constanter stabili (nec sine numine
Diuûm) Discutiens illecebras vagas:
Humani generis tute propaginem
Profers, ac homini rebus in asperis
Præstas auxilium non dubium pio.

Felices igitur sunt ter & amplius,
Quos corrupta tenet copula, vel quibus
Sacro coniugij munere dat frui,
Tam laudati operis fautor & arbiter.

Illorum ex animo, te quoq, gaudeo,
Asscribi numeris, & tibi gratulor,
O & præsidium, spes, decus, oppidi,

PISTO.

PISTORIN teneram cum tibi det *Deus*,
Splendentem *Pario* marmore purius.
Sic visum *Domino* cui *thalami* placet
Consortes parilis sub iuga mittere.

Ergo condecoro vos ego coniuges,
Cingens *Palladijs* tempora frondibus,
Sic vobis placidæ *PACIS* opes precor,
Vestros aurea *Pax* ambiat ut lares,
Qua donum melius non queo tradere,
Donarem pateras quamlibet aureas.

THALIA.

Qui studet turpi sine labe, castam,
Integram, tetri scelerisq; puram,
Immo vel toto asse simul beatam

Degere vitam:

Ille deuitet *Paphij* cubilis
Stupra, quæ vulgus sequitur prophanum,
Et colat cura vigili verenda

Iussa Tonantis.

Intret ac lecti sociale fœdus,
Eligens vnam sibi copulandam,
Ore cui blando queat ille tali,

Dicere voce:

Tu places

Tu places verè mihi sola soli,
Tu meæ vitæ socium leuamen,
Tu mihi robur preciosa gemma, &
Summa voluptas.

Viuitur tali ratione rectè,
Hic amor durat: Vetitis paratur
Optimum tædis medicamen, isto
More modoq̃.

Sic pius Coniux benedictionem
Accipit: lecti quasi fructuosæ
Palmitis, dotes quoq̃, remq̃ prolemq̃
Et decus omne.

Gemma ceu collo, sua vitis horto,
Vua ceu viti speciosa plena
Sic suo summum decus est marito
Vxor honesta.

Vt ferax vitis generosa coniux
Proferet natos tenerasq̃ plantas,
Crescit vt fæta vberibus racemis
Palladis arbor.

Ludit ad mensam numerosa proles,
Pinguibus lætæ segetes vt aruis,
Sic solet castum soboles parentem
Exhilarare.

B

Ergo

Ergo felices nimium SEBASTE
Tuq̄ GERTRVDIS, quater ampliusq̄
Coniuges estis, quia tale vobis

Obtigit omen.

Sponse quin gaudes in amore sponsæ,
Illius dulci recreare flamma

Quam fides, virtus & honor, pudorq̄

Condecorarunt.

Sponsa dilectum venerare sponsum,

Eius ad nutus teneram iuventam

Flecte, & ad tanti moderare mores

Iussa mariti.

Serta viuacis tibi sponse Lauri

Offero, & numen prece posco, vobis

Gloriam, vitam, in melius quod vsq̄

Proroget æuum.

Qui fuit primus thalami iugalis

Autor, & signum statuit fauoris,

Dum canæ lymphas docuit saporem

Sumere Bacchi.

Ille successus tribuat secundos,

Assit & vestro thalamo, suaq̄

Gratia cursum facilis bonusq̄

Dirigat omnem.

Euphr.

E V P H R O S Y N E.

E Cquid ad huc tristi fers pectora quassa dolore:
Et tacito cohibes gaudia sponse sinu?
Non ita: sed thalamos sentisne liquecere cordis
Læticia? sponse lætus honore nouæ.
Hanc tibi sic pietas, virtus & gratia morum
Commendant, vt sit sola petita tibi.
Edidit hanc vitæ blandas in luminis auras
Lipsia, magnificis vrbs populosa viris.
Qua sublime gradu solium, sedemq; peritis
Aonia celebrem disposuere Deæ.
Scilicet est ingens patriæ decus ornamentum,
Nascitur ex humili gloria rara loco.
P I S T O R V M est celebri sata stemmate, patre **G E.**
Is clara celebris floruit vrbe diu. (O R G O,
Est aliquid summis à stirpe parentibus ortus
Ducere, & illorum facta probata sequi.
Hunc si fata virum voluissent ducere vitam,
Non alium Natæ iungeret ipse virum:
Non alium multis lectum de millibus vllum
Optando generum posceret ipse sibi.
Vera loquor: quod & assensu testatur aperto,
Splendida virtutum dotibus ipsa Socrus.
Quæ tibi coniugij iacturam sarcit, & vltra
Coniugis amissæ nomina blanda refert.

B 2

Huius

Huius ab exemplo pietatis semina primum
Hausit, & hinc mores scit tua sponsa probos.
Hac praeunte satis solerti assueta labori,
Prudenter didicit frena tenere domus.
Nec mollis tenerum possedit inertia corpus,
Ocia nec famæ perniciosa bonæ.
Sed quæ sit victus ratio, quæ norma parandis
Mercibus utiliter, discere cura fuit.
Virgineas edocta artes operasq; Mineruæ,
Ingeniosa artis dat monumenta suæ.
Ergo facem merito, tale irritamen, amoris
Extimulet flamma feruidiore tibi.
Quid? quod ab egregio præstans decus eminet ore,
Naturæ eximium forma venusta bonum?
Irrita nobilium sileant encomia vatum,
Parcius ac Helenen carmina laude vebant.
Mutescantq; trium præconia falsa Dearum,
Quæis formæ censor Dardane pastor eras.
Hæc alias inter laudatas vna puellas,
(Derogo nil reliquis) conspicuo ore nitet:
Qualis vbi pictos inter preciosa lapillos
Gemma nitet, qualem mittit odorus Arabs.
Aspice vt ingenuo facies suffusa pudore
Emicat, vt molles erubuere genæ:
Qualiter extulerit quoties Pallantias ortus,
Effulget clarum Sole nitente iubar.

Et co.

Et coma vel Clario vel Cypride dignior ipsa,
Auricomi vincens punica fila croci.
Exornant niueam gemmata monilia frontem,
Exornant rutilasserta decora comas.
O nitidos, fusco mistosq; parumper ocellos,
Luminaq; aureolis æmula sideribus.
Quid memorem graciles digitos artusq; tenellos,
Et bene compositis ora rotunda labris?
Hæc ita cum se habeant, cur ô tua gaudia differs?
Nec cito in amplexus impete S P O N S E ruis?
At nondum satis est formæ præstantia dona
Pandere, sit licet hic non reticendus honos:
Quin magis quod feriat mentem recreetq; medullas,
Inspice in ingenij pectoris atq; decus.
Id patrias longè virtutes donaq; formæ,
Immensi fluxas vincit & orbis opes:
Scilicet Ætherei patris, qua sidera adimus,
Noticia & cultus, ac pietatis amor.
Nec minus ingenui mores habitusq; decentes,
Ac illibata dona pudicitie.
Simplicitas animo, propenso digna favore,
Fulget, & à toto corpore fastus abest.
Ingluies illi est inuisa, proteruaq; linguæ
Garrulitas, luxu pectus & ora carent.
Virtutes reliquas, numero quas edere longum est,
Nec recitare satis nec meminisse queam.

O fortunatum, thalamo cui nupta pudico
Legitimè talis consocianda venit.
Hanc igitur partem fortunæ gratulor omni
Letitia, & toto pectore S P O N S E tibi.
S P O N S A tamen nostrine tuis muneris expers,
Vtraq; cum dederit iam sua dona soror:
Accipe sed vultu munusculis nostra benigno,
Coniugij referens nempe M O N I L E typum.
En crucis insignis quam lumine fulget Iaspis,
Gramineo varijs tincta colore notis.
Desuper hæc, rapidis iniecta (sed integra) lymphis
Innatat, immergi nescia subter aquas.
Sin eadem in partes fuerit dissecta minutas,
Succumbens ima mergitur amnis aqua.
Ceuscriptis referunt, quibus indagare latentes
Et causas rerum ac abdita, cura fuit.
Vt sunt virtutum simulachra inscripta sub ipsas
Naturas rerum, & prouida cura Dei.
At viridem fuluo si cernis Iaspida in auro,
Diuinum thalami mente reuolue statum.
Inter texta velut rutilante virentibus auro
Gemma nitet maculis, & crucis instar habet:
Aspera sic semper fors concomitatur adhærens
His quos coniugij fœdere iungit amor.
Ac velut haud vnquam fundo submergitur imo,
Dum modo non trunca parte feratur aquis:
Sic

Sic Amor & nunquam ius connubiale fatiscit,
Concors dum stabilit pectora bina fides.
Dissipat ast vires & res discordia magnas:
Grassatur fremitu sic vbi tristis Eris.
Regna, Vrbes, Populos. Regumq; euertit opum vim
Liuor, vt effractam Iaspida pontus agit.
Ergo precor vestro procul exulet omnis amaror
A thalamo, & concors perstet amore Fides.
Nam sincerus Amor dona omnia continet in se,
Aurea ceu viridem Iaspida funda tenet.
Viuite felices ad Mathusalemia secla,
Eueniant vestro prospera cuncta thoro.
Hinc & proueniant seri noua cura nepotes,
Et crescat felix prole frequente domus.
Prole carens etenim thorus, vt sine lumine mundus,
Spem nullam seræ posteritatis habet.
Cætera quæ tacitis trahimus suspiria votis,
Siderei penetrent celsa theatra poli.

Calend. Maij 1573.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



3f. 4018


ULB Halle 3
002 717 190



TA 70L







5.

Epithalamion in Nuptiis

AMPLISS. ET PRV-
DENTISSIMI VIRI, GE-
NERIS SPLENDORE, ET ME-
ritis cum in Rempub. tum in curatio nis Metallicae
gubernationem in Monte D. Mariae praes-
stantis. D. Consulis SEBASTI-
ANI FVNCII;

ET

PVDICISSIMAE VIRGINIS GER-
TRVDÆ Viri Spectatissimi & Grauissimi
GEORGII PISTORII Ci-
uis Lipsensis, relictæ filiae.

Scriptum ab

ELIA LYTTICHIO
IOACHIMO.



LIPSIÆ Iohannes Martorff imprimebat
Anno M. D. LXXIII.

[26-2642]

